

justissimo cuique expeditissimum. Quod idem Scipioni videbatur: qui quidem, quasi praesagiret, perpaucis ante mortem diebus, quum et Philus et Manilius adessent, et alii plures tuque etiam, Scaevola, mecum venisses, triduum disseruit de re publica; cujus disputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum; quae se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat. Id si ita est, ut optimi cujusque animus in morte facillime evolet, tanquam e custodia vinculisque corporis: cui censemur cursum ad deos facilitorem fuisse, quam Scipioni? Quocirca moerere hoc ejus eventu, vereor, ne invidi magis, quam amici sit.

Tusc. I. 22—23. Sed plurimi contra nituntur, animosque, quasi capite damnatos, morte multant, neque aliud est quidquam, cur incredibilis his animorum videatur aeternitas, nisi quod nequeunt, qualis animus sit vacans corpore, intelligere, et cogitatione comprehendere. Quasi vero intelligant, qualis sit in ipso corpore, quae conformatio, quae magnitudo, qui locus: ut, si jam possent in homine vivo cerni omnia, quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur animus; an tanta sit ejus tenuitas, ut fugiat aciem. Haec reputent isti, qui negant, animum sine corpore se intelligere posse; videbunt, quem in ipso corpore intelligant. Mihi quidem, naturam animi intuenti, multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tanquam alienae domi, quam qualis, quum exierit, et in liberum coelum, quasi domum suam venerit. Nisi enim, quod nunquam vidimus, id quale sit, intelligere non possumus, certe et deum ipsum, et divinum animum, corpore liberatum, cogitatione complecti possumus. Dicaearchus quidem et Aristoxenus, quia difficilis erat animi, quid aut qualis esset intelligentia, nullum omnino animum esse dixerunt. Est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre: et nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat. Non enim, credo, id praecipit, ut